

  
**ORATIO**

DE INCLITO HISPALENSI ANTISTITE

**D**ivo **I**sidoro,

HISPANIARUM PRIMATE, ATQUE DOCTORE,

**HABITA**

AD PATRES CONSCRIPTOS ECCLESIAE HISPALENSIS

*Ab. Emmanuele Osuna,*

COLLEGII IN EADEM CIVITATE

ISIDORI NOMINE ERECTI ALUMNO,

*Pridie iduum aprilium sole ad occasum inclinante*

ANNO A REPARATA SALUTE M. DCCCXXI.

---

**HISPALL.***Typis Regiis.*



THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

# ONTARIO

DEPARTMENT OF HISTORICAL RESEARCH



100-100-100

100-100-100

100-100-100

100-100-100

100-100-100

100-100-100

100-100-100


100-100-100

100-100-100

100-100-100

HISPALE

100-100-100



Quamquam Isidori laudibus, Illustrissime Hispalensis Ecclesiae Senatus, Collegae studiosissimi, omnium adstantium amplissima concio, saepe locus iste personuit, adeo Sanctissimi Praesulis virtus supra quoslibet honores extollitur, ut quicumque eum laudandum jam dudum susceperunt, nobis copiosissimam segetem reliquerint, quam quidem, tum nos, qui parúm dicendi vi valemus, ingenio minús, tum ii, qui nos sequentur, posteris trademus inexhaustam. Ut enim ea, quae in adspectabili mundo pulchriora mirantur, ideo perfectissima dicimus, quia plurium rerum ornatus et decorem habent, ita Isidorus iis meritis claruit, quae maximos viros et omni laudatione dignissimos possent singula efficere. Quem equidem hominum posteritatis memoriae non tradidisset ejus, tum in profanis litteris, tum in sacris admiranda sapientia? Quem sileri esset passa ipsius gravitas, et prudentia, vel in Republica componenda, vel in Ecclesiae negotiis administrandis? Quem ad sidera non evexissent in scribendo acumen, in dicendo facundia, et nitor? Quem tandem saeculorum omnium, venerationi obnoxium non fecissent humanitas, in omnes indefessus amor, castissima denique et omni sanctitatis genere ornatissima vitae pulchritudo?

4  
Quam ob rem mihi magnopere gratulor, cui de re non novâ nové et ornaté obtigit posset dicere, tum quidem apud eos clarissimos viros, quibus Isidori laudes pergratissimae semper fuerunt, tum eo loco, ejus beneficentiae monumento amplissimo, qui tanti praesulis gloriam et virtutes celebranti cuique maxime patet. Itaque mihi hanc rem jam dudum animo versanti illud vehementer occurrit, quod nemini hactenus occurrisse memini: scilicet, sanctissimum Episcopum, tot virtutibus clarum, tot meritis erga Ecclesiam matrem amplissimum, adeo etiam de Republicâ Gothorum, et Hispaniae regno benemeritum fuisse, ut in optimi principis atque prudentissimi legislatoris partes obeundas totam animi vim, totam mentis aciem convertisse videatur. Atque id in Isidoro maxime mirandum arbitror, clarissimi Auditores: quod tot tantaque officia, tum studiosissimi Episcopi, tum sanctissimi Senatoris, sapientis viri christiani integerrimi, fortissimi haeresis profligatoris, civilis et Ecclesiasticae pacis Auctoris, quibus plurimi, et ii quidem acerri mi ingenii homines impares futuri videbantur, ita unus impleverit, ut Ecclesiae simul et Patriae Pater, litterarum splendor et gloria, disciplinae tum restituendae tum conservandae fautor, verae denique doctrinae columna, atque Arianismi fulmen toto orbe terrarum meritó vocaretur.

Quae cum ita sint, nec brevi nostrae orationis decursu tantas laudes continere possimus, quid Hispaniae regnum Isidoro debeat, quid Republicae angustiis, quid bello, quid pace, quid

in comitiis, in Senatu, in principis concilio pro Gothorum felicitate effecerit, brevissime dicam; et ita dicam, ut Praesulis elogium praetermississe nullo modo videar. Is siquidem fuit apud nostros majores mos, ut episcopi praeter eam, quâ decorabantur, Ecclesiasticam auctoritatem, in civilis regiminis partes unâ cum optimatibus vocarentur: unde et sanctitati simul et rerum pro patria gestarum gloriae amplissimus ipsis aditus patebat. Gothi namque, postquam Scandias rupes, Balticum mare nivalemque Istrum transiere, quadâm civili Aristocratiâ utebantur, cui quidem Rex praerat, minimé vero dominabatur, pacis, bellique gerendi ipsi curâ permissa. More Pastorum, potiusve dicam, latronum, utramque Pannoniam, Graetiam, Italiam, Alarico duce, vastaverunt. At cum ipsis dominanda concederetur. Narbonensis Gallia, atque in Hispaniam provinciam, a Vandalis, Suevisque tum agitatam, jus belli daretur, tum permulcere habitus antiquos gentis mores in leges constituere, campos, atque litteras colere, victoriis frui, atque luxu, deliciisque Romanis insitam ferocitatem corrigere. Gentilem idolotriam abnegantes, Christianismum amplexi sunt. Arianis novitatibus faedatum: unde et Leovigildi tyranni furores et civile bellum florentissimam religionem conflagrans, et Hermenegildi principis sanguis fusus, donec Reccaredi pii atque Leandri curâ, vigiliis, periculis denique vera Religio Hispaniae restituta, Christumque Deum ex Pirenaeis montibus Calpem usque et Gaditanum fretum appellare datum.

Rebus sic constitutis, fieri non potuit quin

ea concilia, quibus de fidei, disciplinae, morum conservatione agebatur, tamquam totius gentis generalia comitia haberentur. Ejusmodi comitiis Religio restituta, pax data, Reges electi (electionis namque jure fungebatur Gothorum natio) leges civiles constitutae, indictum bellum vel praetermissum. Adeo equidem Reipublicae et Ecclesiae jura arctissimo vinculo comprehendebantur, ut et legumlatorum potestate (quae penes optimates erat) Ecclesiastici Praesules fruere-  
 et Regi Oligarchiusque protectionis et sollicitudinis jus in Ecclesiasticis negotiis concederetur. Porro omnibus persuasum erat Religionis splendore firmam Rempublicam stare, illâque fractâ hanc penitus corruï.

Has inter belli pacisque vicissitudines, inter haec pené nascentis Religionis et veteris erroris discrimina, Isidorus, regio genere natus, ea familia genitus, quae nihil antiquius pietate habebat, quaeque tot recensebat viros sanctissimos quot filios, ut tandem uno verbo cuncta complectar, magni Leandri frater, postquam eruditione et sanctitate, clarus et ob Arianam Haeresim acerrime debellatam, omnia que indigna pro Catholicâ fide perpessa insignis factus est, Praesul Hispalensis Ecclesiae, quae tunc temporis, sicut et hodie peramplissima inter Hispaniae sedes referebatur, omnium bonorum suffragio et appellatus et consecratus est. De hinc tum originis nobilitate, tum Episcopali decore in comitia generalia Gothicae Gentis ingressus datur, ubi quot quantaque prudentia consilioque in difficillimis Reipublicae temporibus egerit, omnes historiae testan-

tur. Tunc quidem temporis (utar enim vestra benignitate, Auditores clarissimi, quandoquidem in hoc novo et inusitato apud hunc locum genere dicendi me libenter auditis) nullis extraneis hostibus Hispaniae regnum circumcludebatur. Vandali, nostrae Beticae pinguis agris derelictis, in Africam trajecerant, ubi eos domuit Belisarius. Suevorum regnum in Occidentali Lusitaniae plaga jam dudum constitutum, Leovigildi virtute in Gothicam dictionem transierat: Gallia a Francis occupata, partibus et sceleribus exagitata, minime potentiam Gothorum labefactare poterat. Unde praeter Hispanias duas, Mauritaniam et Galliam Narbonensem, regni cunabulum habebat, paucis exceptis maritimis Civitatibus, quae Imperatorum Orientis potestati subiciebantur. Unde et gloriâ et omni genere luxuriae Hispania florens, nullos, nisi se ipsam, quos timeret, habebat hostes.

Verum ipsâ felicitate Reipublicae in deterius ruunt. Postquam Reccaredus e vivis sublatus, sanguine conspergi Hispaniae solium; ambitio impotens justa et injusta permiscere; partibus cuncta moveri atque exagitari, paucorum arbitratu regi omnia et in tyrannidem tum adversus Regem tum adversus populum Senatoriam dignitatem verti. Plures nomine Reges, et nihil amplius regiae potestatis servantes, paucorum annorum spatio thronum occuparunt, vi aut insidiis occisi. Leges ad ea, quae tyrannis placebant, passim trahebantur. Omnia tandem evertenda crudelitas, superbia, vitia minitabantur: In his angustiis Isidorus noster patriae et honestatis ferè unicis amator, pru-

dentia et virtute aditum nequitiae intercludendum existimavit; et reverâ interclusit. Adhuc extant toletanarum Sinodorum acta, quibus frequens praefuit, quaeque, ut supra dixi, cunctam Gothorum nationem exhibebant; in quibus quaecumque facta sunt probitati, Religioni, legibus consentanea, Isidoro duce, admonente, objurgante facta sunt. Ipse imperii columen, legum defensor, priscae denique veritatis cultor apud omnes habebatur. Non semel profligatissimis Reipublicae perversoribus cladem Hispaniae et caedem regibus et optimo cuique jam jam minitantibus, faces et pugiones e manibus ademit. Non semel ambitiosae superbiae perniciosissima consilia prudentiâ et facundiâ profligavit: neque semel etiam publicae paci consulens quaedam lenitate sananda, ne cuncta saevitia ruerent, prudentissimè existimavit.

Neque latebat Sanctissimum simul et sapientissimum Antistitem Reipublicae labem e vitiorum sentinâ profluere. Quam ob rem nihil cordi magis habuit quàm ut virtutis amorem, pietatem, patriae caritatem in omnium animis inderet: Hinc ejus pro pace publicâ servandâ, pro morum integritate, pro partium extinctione frequentes admonitiones et in coelum indefessa vota. Itaque nihil me Isidori laudibus extra jus additurum arbitror, si audacter dixero, Gothorum Rempublicam, seditionibus agitatum, et mole ipsâ jam jam corruendam, nostri Praesulis vigilantia et virtute fuisse recreatam: eumque a Deo Optimo Maximo Hispaniae defensorem suscitatum, ne ante diem caderet, quo Witizae sceleribus et Roderici



9  
ignavia in Barbarorum dictionem esset ventura.  
Verum tot tantisque meritis erga Hispaniam insignis in publicis totius gentis negotiis, minime civilis administrationis obliviscebatur. Id in re-  
rumpublicarum regimine latissimam quibuscum- que vitiis aperit viam, quod sine certis legibus, sine jure certo privata discrimina transigantur. Gothi equidem nullis scriptis tabulis, sed tradi-  
tione regebantur: quam ob rem vel judicum im- potentia vel eorum, qui praeerant, tyrannide ad- versus honestatem et justitiam saepesaepius eae traditiones deflectebantur: quapropter plurimi regiam potestatem ambiebant, non solum homi-  
num domini futuri, sed etiam legum. Id advertit Isidorus, atque Sisenando Principe favente, cujus imperium pacem Hispaniae dederat, post Suinti-  
lae impotentem crudelitatem, percelebrem illam legum collectionem scripsit, quae *Judicum Forum* appellatur, quaeque hodiedum etiam in patrii ju- ris partes addiscatur. In ea Gothicae gentis jura, mores, qui in leges transiere, Legumlatorum in populum officia accurate scripta, ita ut sapien-  
tiae civilis Gothorum monumentum sit, quod Isi- dorus suae patriae utilitati et gloriae consecravit.  
Videtis ergo jam, amplissimi viri, quod initio nostrae orationis mirandum in Isidoro dixi: ita scilicet in Reipublicae administratione sollicité versatum, ut nullum litteris colendis, Hispalensi Ecclesiae regendae, amicitiae et virtutis sectandae locum superfuturum videretur. Verum quantum ipsi Ecclesia debeat, quantum amici, quantum denique litterae, quarum pené unicus tunc tem- poris fuit in Hispaniâ amator, testantur apertisi-

mé ejus immortalia scripta, sanctitas toto orbe terrarum celebris, atque Hispalensium in eum indefessus amor, a patribus in filios perenni successionem decurrens.

Te ergo, Isidore pater, quod nomen duplici titulo, nos assumere posse gratulamur, te ergo, Hispaniae nostere defensorem egregium, Hispalensis Ecclesiae decus et amorem, te supplices obsecramus, ut hoc sinas exiguum gratitudinis monumentum tuis laudibus accrescere. Felices, nimium felices, si tuarum virtutum exemplo accensi, si patrocinio fulti, erga patriam, litteras, Religionem sanctissima officia adimpleverimus.

## DIXI.